

## Diurnariis edocendis nuntiatio

77/2005

### **Societatem Ferrivariam Germanicam salutem mittere Summo Pontifici Benedicto XVI° concelebrantibusque Conventum Mundialem Iuventutis XX<sup>um</sup>**

**Expectari in parte Germaniae Inferioris ad Rhenum sitae decies fere centena milia iuvenum ex civitatibus plus CLX convenientium • Societatem Ferrivariam Germanicam hamaxostichos extraordinarios CXLII ad commeationem longinquam sustentandam suppeditare, tesserulas pretii favorabilis offerre**

(Berolini, die 15° m. Aug. a. 2005) Ex die 15° ad diem 21<sup>um</sup> m. Aug. tota regio Rhenensis nulla alia in re nisi in Conventu Mondiali Iuventutis celebrando occupata erit. Illuc complura centena milia iuvenum fidei catholicae addictorum ex toto orbe terrarum advenient, quippe quos Summus Pontifex vocaverit iam XX<sup>um</sup> ad Conventum; cuius est initium Missae die 16° m. Aug. tenendae Dusseldorpii Bonnae Coloniae Agrippinae, qua in urbe Summus Pontifex Benedictus XVI<sup>us</sup> ex die 18° ad diem 21<sup>um</sup> m. Aug. morabitur. Auctores exspectant, ut plus quam novies centena milia hominum in campo Mariae in pago inter Rhenum Erftumque fluvios sito Conventum Missa communi die 21° m. Aug. concludant.

Societas Ferriviaria Germanica pro sua parte studet, ut Conventum Mundialem concelebrantes quam maxime diebus festis perfruantur. Hartmutus Mehdorn Societatis praeses „valde gaudemus“, inquit, „quod papa Benedictus XVI<sup>us</sup> nos visitat et Conventus Mondialis Iuventutis XX<sup>us</sup> agitur in Germania. Quae res nobis est maximum incitamentum et munus, quod toto animo et studio omni suscipimus.“

Nemo est qui neget vias principales et rete ferrivarium in Germania occidentali propter Conventum commeatu affluere frequenti, frequentissimo autem die 21° m. Aug., qui dies feriis et in Rhenania-Guestfalia et in quibusdam Batavorum regionibus afferet finem.

Qua de causa Societas Ferriviaria iamdudum diligenter meditata est, quomodo commeatio vicinalis longinquaque stabiliretur. Ex die 15° ad diem 21<sup>um</sup> Societas Ferriviaria Germanica hamaxostichos extraordinarios CXLII sedum centum triginta miliorum ad commeationem longinquam sustentandam suggerit, necnon mandantibus conventus auctoribus curavit una cum societate vecturae publicae Rheno-Sigensi (VRS), ut hamaxostichi civitatenses frequentius veherentur et MCCL hamaxostichi regionales extraordinarii suppeditarentur.

## Diurnariis edocendis nuntiatio

77/2005

Societas Ferriviaria ex die 10<sup>o</sup> ad diem 23<sup>um</sup> m. Aug. viatoribus blandimento tesserulas pretii favorabilis offert, quae Euronis XXXIX constant, si viritim, Euronis XXIX, si gregatim in secunda classe iter ad Conventum faciunt (pretia scilicet itineris singularis).

Werner Klingberg  
Praeco Societatis  
Tel. 030 297-61180  
Fax 030 297-62086

Gunnar Meyer  
Praeco vecturae personarum  
Tel. 030 297-60010  
Fax 030 297-60012

[medienbetreuung@bahn.de](mailto:medienbetreuung@bahn.de)  
[www.db.de/presse](http://www.db.de/presse)